

RESCRIPTUM BEATI PAPAE DAMASI AURELIO ARCHIEPISCOPO  
DIRECTUM.

Reverentissimo fratri et coepiscopo Aurelio Damasus.

5 Scripta sanctitatis tuae debita veneratione suscepimus, in quibus sitire  
venerationem ac prudentiam tuam apostolica instituta, ut dignum erat,  
cognovimus. Qua de re quaedam ex his, quae petisti, misimus et quaedam adhuc,  
cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen a beati Petri principis  
apostolorum sine praedecessorem nostrum praetermisimus, de quorum statutis  
10 aliquid tibi per Amonium presbyterum et Felicem diaconum sub certis signaculis  
non mitteremus. Quae te et custodire optamus et aliis praedicanda mandamus, ut  
ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur et inviolate servantur atque  
ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur, quia violatores voluntarie  
canonum graviter a sanctis patribus iudicantur et a sancto spiritu, cuius instinctu  
ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare spiritum sanctum non  
15 incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi,  
sed libenter, ut praefixum est, aliquid aut proterve agunt aut loqui praesumunt aut  
facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste unum  
genus est blasphemantium spiritum sanctum, quoniam, ut iam praelibatum est,  
contra eum agit, cuius nisu et gratia idem sancti editi sunt canones. Diabolica  
20 vero nequitia plerosque subtiliter fallere solet, et ita quorundam imprudentiam per  
similitudinem pietatis saepissime inludit, ut pro salubribus nocitura persuadeat.  
Idcirco norma sanctorum canonum, qui sunt spiritu dei conditi et totius mundi  
reverentia consecrati, fideliter a nobis est scienda et diligenter tractanda, ne  
quoquo modo sanctorum patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod  
25 absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes cum eis, qui eos instinctu  
condiderunt divino, mercedis gloriam et laboris cumulum eorum meritis  
auxiliante domino habere mereamur.

His itaque rite deliberatis et ad ecclesiarum vestrarum notitiam nostra  
deliberatione perlatis, parere vos eorundem sanctorum canonum regulis  
30 summopere convenit, ne in aliquo eis obviare quorundam ignavia faciat, sed  
vestra sapiens et sana doctrina, quae cupit vos per omnia placere deo, illis  
coheredes et comparticipes caelestis regni in sedibus fideles cooperatores  
ostendat.

Data XVI Kal. Iunii, Gratiano et Siricio, vv. cc. cons.

35 EXPLICIT